



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 31. Cardinalis Arelatensis in Germania inferiore Legatus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

§. XXX.

Sæcul. XV.
A.C. 1450.*Bulla Nicolai Papæ pro Christianis
adversus Turcas.*

Cum Demetrius Palæologus Peloponne- Marian. l. 22
si Princeps, Constantini Imperatoris c. 10.
Constantinopolitani frater, necnon Scan-
derbegus Albaniae Dux contra Turcas
præcipue a summo Pontifice, Alphonso,
Venetisque auxilia peterent, hac super
re frequens habebatur deliberatio, & Ni-
colaus Papa, ne ullum bello sacro adver-
sus infideles impedimentum opponeretur,
die vigesima tertia Augusti ejusdem an-
ni innovavit suorum Prædecessorum Con-
stitutiones adversus eos latas, qui ar-
ma, ligna, equos, aliaque, quibus Chri-
stiani nominis hostes Fidelibus nocere
possent, Turcis subministrarent, aut iis
quocunque modo consilium vel favorem
impenderent.

§. XXXI.

*Cardinalis Arelatensis in Germania
inferiore Legatus.*

Eodem tempore Nicolaus Papa Cardi-
nalem Arelatensem, quem Amadæo
Papatum abdicante omnibus suis resti-
tuit honoribus, Sedis Apostolicæ etiam
Legatum per inferiorem Germaniam de-
crevit, suæ in eum fiduciæ ac existima-
tionis

Sæcul. XV.
A C 1450.

tionis luculentius testimonium daturus. Verum non nisi cum plurimis vitæ suæ periculis functus est Legatione; nam stru-ctis etiam in via insidiis in se, suosque hostiliter actum est, nec suæ quoque sarcinæ deprædantium manus effugerant, quas vero in restauranda morum disciplina adversitates perpeti compulsus esset, haud infimo loco ponendas esse censemus. Eripuit tamen illum benignum Numen ex tam multiplici discrimine Legationis suæ oppido arduæ, eodemque adhuc anno incolumem ad suos Arelatenses reduxit, ubi ardentiori quam unquam studio reformandis gregis sui moribus, ac revocando Ecclesiæ suæ splendori insudavit. In pauperes, qui eum Patrem suum appellare solebant, admodum liberalis, varia nosocomia aut fundavit, aut dotavit, propria etiam manu pauperum necessitatibus inserviebat. Tandem Salli, seu Salenæ, quæ suæ Diocesis urbs erat Arelato & Aquis sextiis interjacens, morbo correptus, ac mortem sibi imminentem haud temere præfagiens, ad æternitatis iter expiatis denuo peccatis suis sese accinxit, prout vixit, moriturus; instanter quoque extremæ Uctionis Sacramentum sibi administrari petiit, quo reverenter suscepto, placide animam Deo reddidit die sexta decima Septembris anno salutis millesimo quadring-

dringentesimo quinquagesimo, ætatis suæ
ferme sexagesimo.

Sæcul. XV.

A C. 1450.

§. XXXII.

De obitu hujus Cardinalis.

Nonnullorum Scriptorum fide discimus, hunc Cardinalem in quadam Sabaudie Abbatia, quæ Altecumba dicitur, haud præcul a natali ejus solo distita, supremum obiisse diem. Alii econtra referunt, mortuum fuisse in alio quodam Sabaudie loco prope Lacum Lemanum; sepultum vero primo Lausannæ, postea, ut communis omnium sententia fert, modico post ejus obitum tempore ad Ecclesiam Cathedralē Arelatensem, vel ut satis vero simile est, Salenam translatum fuisse. Vir erat in vita sua sanctitatis fama clarus, quæ etiam miraculorum ad ejus sepulchrum patratorum splendore adeo excrevit, ut ipsa Ferrariensis, & Florentina Synodus, necnon Eugenii felicis recordationis Papæ fautores in summam admirationem raperentur.

§. XXXIII.

*Idem Cardinalis a Clemente VII.
Papa Beatorum numero
adscriptus.*

Quinimo, quos vox populi hucusque e-
lingues facere haud poterat, tan-
dem